



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

16. Etiam in temporalium rerum cura Deo nitendum esse.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45653**

stantia in clarescit, quando morbos pellit, ab alijs desperatos. De mosthenes, cum illi obijceretur, quod cum malis consuetudinem haberet, Ille, inquit, est optimus, qui derelictos ab omnibus curandos suscipit. Ita, tametsi oculus Domini omnibus inuigilat, omnibusque prospicit, præcipue tamen illos curat, quos alius nemo curat; & hoc ipsum plus est, quam si quis ab omnibus curaretur. Ut enim oratori olim peroranti, cæteris auditoribus sensim dilapsis, & solo Platone, post omnes, remanente, *Plato instar omnium fuit*, sic instar omnium, & præ omnibus, debet nobis esse Deus, qui solus sufficit, & infinitis modis omnium creaturarum auxilia excedit. Quemadmodum vnius præsentia atque lux Solis clarius lucet, quam lumina omnium stellarum reliquarum. Quare quisquis se ab omnibus mortalibus deserit videt, si ab eo noti amicique omnes recesserunt, si in se ipso nullum consilium, in alio nullum auxilium reperit, credat superesse Deum, & hunc sufficere existimet, clametque cum S. Francisko: *Deus meus & omnia*.

## XVI.

*Luc. 22.35.*  
*Psal. 110.6.*

Quia vero sollicitudo stultorum mortalium minimè curat spiritualia, maximèque circa victum vestitumque versatur, necessarium duco, ut afferam plura diuinæ curæ exempla, quæ monstrant, Deum non deesse ijs, quibus omnia, etiam in rebus temporalibus, deesse videntur, è quibus apparebit, quam longè præstabilius sit, etiam propter corporis necessaria, spem in Deo, quam in agris & fundis collocare: nulla enim grando, nulla vredo, nulla tempestatum iniuria potest obesse, spem suam diuinitatis anchorâ fulcienti. Quod confirmauit Dominus, cum Apostolis dixit: *Quando misi vos, sine sacculo & pera, nunquid aliquid defuit vobis?* nempe hoc est, quod olim dixit: *Oculi mei ad fideles terre, qui etsi baculo aut gladio carent, tamen ab Angelo meo defenduntur; si peram non ferunt secum, è nubibus panem illis mitto, & mensam instruo, ambrosiâ cœlesti conditam.*

## CAP. XVI,